

St. Johannis
St. Morizen

St. Johannis

St.

45

952 45

B. C. D.

DEUM BONITATEM,

AMPLISS. FACULTATIS. PHILOSOPH.

CONSENSU

PRÆSIDE

DN. IOH. Gottlieb Hardt,

METAPHYS. ET DIALECT. PROFESS. PUBL.

COLLEGII PRINCIPUM COLLEGIATO, &c.

PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SUO
ESTUMATISSIMO,

BENIGNA CUM ERUDITIS PUBLICE INSTITUTA
DISCEPTATIONE

AD FUTURUM IV. FEBRUARII ANNI MDCCXIII.

H. L. Q. C.

TUEBITUR

AUTOR-RESPONDENS

JACOBUS CHRISTIANUS VOGELIUS,

SAXO-LAUENBURGICO-NEOHUSANUS, PHILOSOPH.

BACCALAUREUS ET MAGISTERII CANDIDATUS.

LIPSIÆ,

LITERIS IMMANUELIS TITII.

R. D. Koenig.

B. C. D.

DEUM BONITATEM

AMPLISS. FACULTATIS PHILOSOPH.

CONSENSU

P. R. E. S. I. D. E.

DR. JOH. GOTTLIEB GARDI

METAPHYS. ET DIALECT. PARS PRIMA

COLLEGII UNIVERSITATIS ALMA MATER

PATRICKO ATQUE PRÆCEPTORE

IN PRAESENTIA

REVERENDISS. PATRIS

DISSENTATIONE

AD THESEM IN PRAESENTIA

ANNO

MDCCCXXXIII

IN PRAESENTIA

JACOBI CHRISTIANI VOGELII

PHILOSOPH. ET MATHEMATIC. PARS PRIMA

COLLEGII UNIVERSITATIS ALMA MATER

IN PRAESENTIA

DISSENTATIONE

INCLVTÆ. AC. LIBERÆ. S. R. I. CIVITATIS.
LUBECENSIS.

ORDINI. SENATORIO. SPLENDIDISSIMO.

MAGNIFICIS. GENEROSIS. CONSULTIS-
SIMIS. PRUDENTISS. EXCELLENTISSIMIS.
SPECTATISSIMIS.

DOMINIS.

CONSULIBUS.

SYNDICO.

SENATORIBUS.

PROTONOTARIO.

ET. SECRETARIIS.

CÆTERIS.

PROCERIBUS. PATRIÆ. REIPUBL.
EMINENTISSIMIS.

RELIGIONIS. PURIORIS. ZELO. RERUMQUE. GESTA-
RUM. INCOMPARABILI. PRUDENTIA. LAU-
DATISSIMIS.

ITIDEM.
SUMME. VENERABILI. LAUDATISS. CIVITATIS.
ORDINI. ECCLESIASTICO.

DOMINIS.
PRÆSULLI. SENIORI.
PASTORIBUS.
ATQUE. SYMMISTIS.

LUMINIBUS. AC. COLUMINIBUS. DE EC-
CLESIA. DEI. MERITISSIMIS.

*DOMINIS. MÆCENATIBUS.
ET. PATRONIS.*

ÆTATEM. SUSPICIENDIS. COLENDIS.
PRIMITIAS. HASCE. ACADEMICAS.

DEVOTA. MENTE. CONSECRAT.

AUTOR-RESPONDENS.



J. J.

§. I.



Byssus quanta DEUS finito intellectui nostro sit, ve! inde agnoscendum, quod ne vocabuli quidem, quo ingeniosissima gentium, Græci & Romani, tantum Numen nominarunt, sive derivationem evidentem, sive usurpationem omnium primam extare

videas.

§. II.

Mentem nostram cogitatio subit; nationes veteres, illas admodum antiquas, partim incidentes in libros Mosis, partim de placitis ejus inaudientes, partim etiam edoctas traditionibus majorum Ebræum יהוה & אלהים sui quamque idiomatis dialecto studiose reddidisse, quoties Supremum Numen, cujus providentia totam rem moderabatur, esset adpellandum.

§. III.

Germanos autem nationibus antiquissimis accensendos, ipsorumque Linguam ante fuisse quam Græcam & Latinam, utpote quibus tot voces communicavit, Morhofius im Unterricht von der Deutschen Sprache, præeuntibus tot eruditissimis autoribus, accurate observavit.

A

§. IV.

§. IV.

Quid ergo vetaret conjicere: Germanorum majores prisca verborum vetustate Numen vocasse; de is, the is, thi is, the it, thi it, hodierno sono, der da ist: ac postmodum, à priori dialecto, Æolicum Δεὸς, hincque Latinorum Deus cum Italo- rum Dio, Iddio, Hispanorum Dios, Gallorum Dieu &c. Ab altera magis frequentatum Θεὸς & Ungarorum Isten &c. A reliquis Cretensium Θεός, Ægyptiorum Theut, Sinarumque Ti, &c. de quo ultimo proœmialis in Confucium declaratio Parte II. §. IIX. p. 90. seq. agit, ortum traxisse.


§. V.

Non quisquam nobis pias conjecturas, quod speramus, invidebit, quas Linguarum peritia egregie claris ulterius ponderandas relinquimus. Hoc tamen dicta etymi ratione lucrabimur contra Socinianos: Esse in ipsa Theologia Naturali incomparabilem DEI vocem nomen potius Naturæ quam Officii.

§. VI.

Decursu alicujus temporis, αὐραυλὸν supremum, quo termino DEUM Scaliger significavit Exercit. 345. 2. adpellari cœpit ab attributis experientiæ hominum exstantioribus; apud Assyrios quidem Ahad, vid. Macrob. Saturnal. Lib. I. cap. XXIII. forte ab אֱחָדִים unus, quemadmodum Pythagoras quoque Deum dixit μονάδα, unitatem; apud Æthiopes Amlacha a מֶלֶךְ regnavit; Babylonii antiquis Sabat, Dominus exercituum, aut potius, in sufficientia tranquillus. Magis Orse ab אֱוֶרֶן lumen; Calicutanis Tamerani, occultus; explicante ita Martinio in Lex. Philolog. voce Deus, ubi plura quædam legi merentur.

§. VII.



§. VII.

Imo ipsi etiam Germani, antiquissimis illis haud multum juniores, agnoscentes, DEI tantum Numen esse undiquaque optimum, perfectissimum; & ut rudioribus responderent ad quaestionem: Wat is the is, quid est Deus? partim regessisse; dru & drut, fidelis, verax: Hinc ipsorum drutin vel trutin, (quo nomine Islandi hodiernum adhuc Deum expriment) item Druidarum adpellatio. Partim, & praecipue quidem dixisse: God & Wod, significaturi summe divinum, bonum, perfectum; ex quo Gvode, Wode, itidem **Wodan** (ita Mercurius aut aliud numen Germanorum vocabatur) enatum. Conferatur Vossius, cujus tamen quaedam immutavimus, de Idolol. Gentil. Lib. I. Cap. XXXVII. p. 273. Quin Persarum quoque Choda, quo Deum notant, debere ad has origines revocari hoc magis verosimile fit, quo plura Persica cum Germanicis coincidunt. Vid. Morhofium l. c. Cap. II. p. 40. seqq. Ad ultimum Nomen **Got** invaluit, Anglis, Danis, Belgis &c. Germanos suo modo imitantibus.

§. IIX.

Reperitur autem bonitatis notio in Philosophia sacrae varia, Naturalis bonitas est: Convenientia naturae & virium ipsius cum sua specie; v. g. judicii, memoriae, visus excellentia in homine. Artificialis, si spectetur subjective, est: Convenientia habitus cum legibus artis; v. g. pingendi scientia in Apelle; sin transitive, erit: Opus ad leges artis concinnatum, vel si mavis, conformatio operis ad habitum artificis. Moralis est: Convenientia rei cum principiis honesti & decori; ex. gr. Virtus.

§. IX.

Difficilior istis omnibus occurrit Bonitatis Metaphysicae

solida explicatio, maxime postquam à Platonis mente, per ipsum Unum, Ipsum Bonum, Ipsum Pulcrum, DEum intelligentis, recedens Aristoteles, istud tam augustum excogitasset I. Eth. VI. ut cum Ente reciprocum posset concipi, Commentatoribus ejus Græcis & Arabibus, Scholasticis, eorumque cum Sectatoribus tum Reformatoribus in omnia tandem alia abeuntibus quo cardines tam longe patentis Bonitatis in conceptu aliquo formali utcumque figerent; Ipsum illum quibusdam in esse perfecto cum Herveo: In relatione convenientiæ cum Durando: in relatione Appetibilis cum Aquinate, occasione loci Stagiritæ I. Eth. I. sollicitè vertentibus. Vide Svarez. Metaph. Tom. I. Disput. X. Fonseca Commentar. Metaph. Lib. IV. Cap. 2. qv. VII. aliosque autores innumeros.


§. X.

Si aliquid in ea Bonitatis amplitudine à nobis decernendum, dixerimus; quod ratio ejus formalis consistat in convenientia radicalis perfectionis cum voluntate Dei. Conf. Meisner. Philos. Sobr. Part. I. Sect. IV. p. 1016. seq. Calov. Metaph. Divin. Part. Gen. Cap. VI. p. 350. Dan. Voet. Compend. Metaph. Lib. I. cap. XVIII. &c. A quibus haud ita multum absunt Ebelius Rudrauffii Operum Philosoph. p. 838. seq. Guinandus Rutgerfius Universal. Metaph. Lib. I. cap. XVII. p. 131. Joh. Greydanus Institut. Metaph. Tract. II. c. IX. & quotquot Bonitatis Metaphysicæ naturam, per convenientiam perfectionis Enti inesse debitam explicant.

§. XI.

Deus bonus est quacunque (si convenienter interpretaris) Bonitate excogitabili, ostendente Carletono Universalis Philosophiæ Disput. Metaph. III. Sect. II. §. IV. p. 579. adstipulante Ebelio Rudrauffii l. c. p. 840. Verum altius aliquid in
pro-

45
956



profundo immensæ Bonitatis DEI latet quam omnibus istis adlatis ipsaque Bonitate Metaphysica fuit significatum. Nam aliud est rei essentiam esse bonam; aliud vero rem per suam essentiam esse bonam. Cujuslibet rei creatæ essentia est bona, hinc de ipso diabolo, omnis mali autore, Augustinus dicit: Diabolus in quantum est, bonus est, omnis Natura in quantum est, bona est; de Natura boni Cap. I. Sed nulla res creata per suam essentiam, h. e. per se ipsam & à se ipsa est bona. Vid. Gerhard. Loc. Theol. II. Cap. II X. Sect. X. Num. 210. p. 304. Ut paucis multa complectar: DEus est *Ἀυταγαθότης*, ipsa independens Bonitas. Cujus descriptionem, ut quimus, efferre liceat bis verbis: DEus Bonitas; Est ipsum Numen Independens, infinita bonitatis originalis essentialis abyssso sibi atque cunctis quæ existunt vel existere possunt sufficiens.

§. XII.

Tria in descriptione proposita commemorantur.
I. Bonitatem DEI esse ipsum Numen independens;
 sive esse DEum infinita Bonitatis originalis essentialis abyssso *ἄυταγαθὴν*. Quod Mercurius Trismeg. in Pimandro exprefit hisce verbis: *Ὁ θεὸς τὸ ἀγαθὸν ἔ κατὰ τιμὴν, ἀλλὰ κατὰ φύσιν: μία γὰρ ἡ φύσις τῆ θεῶ, τὸ ἀγαθόν.* DEus est bonum non secundum pretium aut honorem; sed secundum naturam: una enim est natura DEI, ipsa bonitas. Vide Opus aureum Neandri Parte I. p. 329. Conferatur Versio Pimandri interprete Marsilio Ficino, ubi Cap. II. editionis Aldi hæc leguntur: DEus unicus ipsum bonum est nec aliud quidquam præter Bonum; neque etiam dixeris DEum aliud quiddam præter solum bonum; Præterea Cap. VI. talia occurrunt: Bonum in nullo ponitur, nisi in uno DEO, immo ipsum Bonum DEus ipse semper. Quorsum etiam illud Augustini pertinet

A 3

Lib.

Lib. IIX. de Trin. cap. XII. DEus sine quantitate Magnus, sine qualitate Bonus. *II. Sufficere sibi DEum essentiali sua Bonitate.* Hoc agnovit Plato in illa DEI descriptione quam ipsi attribuit Scheiblerus Metaphys. Lib. II. Cap. III. tit. 3. p. 477. Θεὸς ἐστὶ ζῶν ἀθάνατον ἀυταρκὲς πρὸς εὐδαιμονίαν, σοφία ἀίδι, τῆς τὰ γὰρ αὐτῷ φύσεως αἰτίας: DEUS est vivens immortale, NB. sufficiens sibi ad beatitudinem, Substantia æterna, autor boni in natura. Calculum adjicit Plotinus Enn. VI. Lib. IX. cap. VI. ita differens: DEUS nullo modo est indigus, sed sufficientissimus omnium, maximeque se ipso contentus. *III. DEum abysso Bonitatis sue cunctis quæ existunt vel existere possunt, sufficere.* Loquatur Plato de Legibus Dialog. I. Bona, inquit, duplicia: humana & divina: & humana ex divinis dependent. Eximium effatum foret illud Aristotelis, de Causis prop. XX. cap. III. Bonitas prima implet omnia secula bonitatibus, sed omne seculum recipit de ista bonitate secundum modum suæ potentia: Nimirum si constaret, libellum hunc esse genuinum Aristotelis factum. Jamblichus certe de Mysteriis fol. 22. editionis Aldinæ ita diserte perhibet: Bonorum omnium essentia & perfectio in Diis continetur, ac prima potestas, & bonorum omnium principium.

§. XIII.

Liquet ergo, DEum suo jure h. e. prorsus optimo adpellari Bonitatem. At propterea haudquaquam impium fuerit, quæ scrupulositas Scaligeri est, Sanctissimum illud Numen dicere Bonum. Verba ejusdem Exercit. 365. sect. VI. sequentia occurrunt: Quoniam DEO multa attribuuntur, ut omnipotens, omniscius, misericors, pius, justus, vindex, sanctus, fortis, im-

immortalis, *bonus*, primum Ens; haud recte extorsit usus, ut sic loqueremur: Si enim denominative de eo quippiam prædicaretur, abstractum esset tum aliud ab ipso, tum ipso prius, quod sane impium est; quare neque Ens est, sed essentia, neque bonus sed bonitas.

§. XIV.

Sane, præterquam quod textus Scripturæ sæpissime de DEO loquatur in concreto, quod sit bonus, justus, &c. ad hoc attendendum fuisset Scaligero: Ejusmodi concreta quando adhibentur, θεοπροπῶς debere intelligi perpurgata scilicet ab omnibus imperfectionibus. Annon ex Scaligeriano principio possem concludere: nec abstractis nominibus de Deo esse pronuntiandum; Etenim abstracta denotant formas nusquam per se subsistentes, sed ἐπινοίας mentis a subjectis & individuis distinguendas. At DEUS non est talis quædam forma nusquam separatim subsistens. Quadrant huc quæ Ludovicus de Morainvillier in Examine Philos. Platon. Part. II. Cap. I. Propos. IV. p. 144. seq. sic philosophatur: Primum bonum non est quid adjunctum alicui naturæ, sed natura per se subsistens quæ nihil aliud est quam bonum. Probatur primo; quia, quod est naturæ alicui adjunctum, non est illud ipsum quod est, sed ejus in quo est: At primum bonum seu ipsum bonum non est alicujus, sed ipsum quod est absolute: Ergo non est adjunctum alicui naturæ. Secundo, quia si esset quid adjunctum naturæ alicui cujus esset bonum, ipsa natura esset non bona, & ita primum bonum esset compositum ex bono & non bono: Ipsum autem bonum non est nisi bonum. Quæ heic circa abstracta Scaliger regefferit, ea respondebimus ipsi ratione concretorum.

§. XV.

§. XV.

Verum convertamus nos ad momenta quædam sanæ rationis, ut evincamus: Deum esse Bonitatem. Principio ita ratiocinamur: DEUS non esse aliter non concipi potest, quam ut Ens essentialiter primum, supremum, perfectissimum. Ergo DEUS non potest non esse essentialiter optimus, vel, quod idem, essentialis originalis Bonitas. Connexio in terminorum ipsis notionibus, at subsumtum in conscientia hominum populorumque moratorum unanimi consensu occurrunt apodictica.

§. XVI.

Deinde omnia DEI attributa, Vita Dei, Duratio, Sapientia, Potentia, Voluntas, &c. eminentissime bona sunt: Ergo ipse Deus per excellentiam totus totus erit bonus, vel ipsa Bonitas essentialis. Vita Dei; quia est merum activissimumque independens esse, quod semper vivens, viventium omnium vita est vitam ipsis dans & continuans. Duratio; quia absolutissima omnimodeque interminabilis æternitas. Sapientia; utpote qua Deus omnia simplicissimo actu exquisitissime perspicit, convenientissime disponit, ordinat, gubernat. Potentia; qua omnia facere potest quæ vult. Voluntas; qua sanctissima rectitudine ab omni æternitate, a se ipso, uno constantique & libero actu vult omne bonum.

§. XVII.

Indirectum est, haud incongruum tamen argumentum, quo Thomas Aquinas utitur Lib. I. contra Gentiles Cap. XXXIIX. Unumquodque bonum, inquit, quod non est sua bonitas, participatione dicitur bonum. Quod autem per participationem dicitur bonum, aliquid ante se præsupponit à quo rationem suscepit bonitatis: Hoc autem in infinitum non est

est possibile abire, quia in causis finalibus non proceditur in infinitum. Infinitum enim repugnat fini, bonum autem rationem finis habet; oportet igitur devenire ad aliquod primum bonum, quod non participative sit bonum per ordinem ad aliquid aliud, sed sit per essentiam suam bonum. Hoc autem est Deus; est igitur Deus sua Bonitas. Conferatur Francisci Ferrariensis ad hunc locum Commentarius.

§. XIIX.

Præterea ita argumentamur: Non potest reperiri aut cogitari bonitas aliqua, cujus abyssus infinita non sit in Deo manifesta: Ergo Deus est Bonitas bonitatum, sive originalis essentialis Bonitas. Certe datur in Deo *Bonitas absoluta, fundamentalis, essentialis*; quia est summe atque infinite perfectus, sive ut Thomas ibidem ait: quia Bonitas non est aliquid additum Dei substantiæ, sed sua substantia. Occurrit in summo Numine *Bonitas respectiva seu Metaphysica*; cum Deus habeat perfectionem suæ voluntati convenientem. Effulget in ipso *Bonitas moralis*, i. e. rectitudo & sanctitas omnino omnis; cum sit justus in omnibus viis suis & sanctus in omnibus operibus suis, Psalm. CXLIV. 9. & 17. Evolvatur idem Thomas in opusculo de Moribus divinis. Eminent in Deo *Bonitas diffusionis*; nam ita plenus est & superplenus omnibus bonis, ut veluti fons inexhaustus, perpetua & incessabili largitione donorum in omnes creaturas exuberet, juxta illud Psalm. CIII. v. 28. Te aperiente manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Quam divinæ Bonitatis diffluentiam Dionysius lib. de divin. nomin. Cap. IV. ita depingit: Ut Sol eo ipso quod est, omnia illustrat quæ lumen suo modo capere possunt; sic ipsum bonum per

B

se

se totius bonitatis radios emittit. Vide etiam Picinelli mundum symbolicum Lib. I. Cap. V. num. 168.

§. XIX.

Heic quæri potest: An Bonitas in summo Numine ad ipsius attributa quidditativa pertineat, quæ in quid est de Deo per modum cujusdam velut generis prædicantur, ut Ens, Spiritus, substantia; an ad circumstantia naturam sit referenda, quæ adprehenduntur in Deo per modum adfectionum? posterius adfirmat Scheiblerus Metaphys. Lib. II. Cap. III. Artic. VI. pag. 486. consentientes habens plerosque Pnevmatologos. Verum non plane à vero aberimus, si quoque attributum quidditativum dicamus ideo; quod Bonitas Dei cum ipso Dei esse atque cum ipsissimo primo Dei conceptu sese statim offerat, ut etiam ipsi gentiles Deum nunquam fere aliter quam optimum Maximum salutaverint.

§. XX.

Interrogabitur insuper: An Dei Bonitas inter attributa *ἐνεργητικά*, operativa, quæ tendunt ad aliquos actus; an inter *ἀνεργητικά*, non operativa, quæ non tendunt, quale v. g. est æternitas debeat concipi? Respondetur: malle nos referre inter attributa *ἐνεργητικά*; quia Bonitas Dei diffusiva, usque fuit, est, ac erit activissima.

§. XXI.

Ἐνέργεια illa Bonitatis Dei sui activissime usque & usque diffusiva distincta ratione unice propemodum ex verbo revelato evincenda. Etiam si enim ratio adsequatur, Dei Bonitatem usque & usque fuisse communicativam infinitoque sui amore activissimam: Omnino tamen cœcutit penitus quoad communicationem immanentem, scilicet intra Sacrosanctæ Trinitatis sinum. Quoad communicationem
ema-

emanantem partim lippit videlicet in operibus Creationis; partim tetrīs ignorantiae tenebris & caligine obruta plane silet, nempe in operibus Gratiae, ut sunt Filii donatio Joh. III. v. 16. Peccatoris reconciliatio, II. ad Cor. V. v. 18. seq. reconciliationis applicatio, ut inde sequatur *evdoxia*, Matth. III. v. 17. Luc. III. v. 22. Quoad largitionem Glorīae, incertissima fluctuat.

§. XXII.

Ut haec explicatius tradamus, tenendum ita: Agnoscit ratio: Deum esse intellectu & voluntate ut perfectissimum, ut activissimum, sic optimum. Sibi ergo usque sua Bonitate suffecisse perfectissimo intellectu: Sibi usque complacuisse perfectissima voluntate: Sui usque fuisse, esse, ac fore communicativum activissimis utrisque, imo omnibus. Sed inde magno saltu facto statim prolabitur illa sibi relicta ratio ad communicationem emanantem partim per mundi fabricam, partim per fabricati curam. Hoc est; incidit ita ratio in vestigia mundanae tam architectationis quam gubernationis, vel ut Christiani loquimur, Dei adsequitur aequae Creationem atque circa res creatas Providentiam.

§. XXIII.

At vero minime adsequitur Creationem, ut loquuntur, circumstantiatam sive ratione causae, quae est Sancta Trias; sive ratione modi atque ordinis, quod res omnes creatae sint in tempore, intra hexaëmeri spatium, tali talique rerum conditarum cum diebus successione, &c. Quam creationem B. Scherzerus Systematis Theologiae Loco III. sic definit: Est actio externa Trinitatis totius & solius, qua omnipotente verbo, mera libertate, in tempore, ex puro nihilo primum chaos condidit, & ex illa rudi ac inhabili

mole sex dierum intervallo Coelum & Terram, cum omnibus quæ in illis sunt, (addimus; valde bona,) ad Creatoris gloriam & hominis usum ac salutem formavit.

§. XXIV.

Itaque lippientem rationem quoad communicationem Bonitatis divinæ in operibus creationis §. XXI. perhibuimus. Nam primo lampadem luminis naturæ quantum ad mundi creationem multi, solertes etiam Philosophi, non vident. Ipsum Platonem atque Aristotelem quidam inter hosce ipsos computant. At Platoni injuriam fieri ejus Sophista sive liber de eo quod est, luculenter monstrat, quandoquidem ibi p. m. 565. seq. animalia cuncta mortalia, plantas quæ ex seminibus radicibusque nascuntur, & quæcunque inanimata in terra consistunt, paucis, naturalia omnia non alio quodam opifice quam Deo facta esse, cum prius non fuissent, perhibeat. Quantum ad Aristotelem, & hunc quidam vindicare abs imputatione satagunt, quos adductos vide a Scherzero l.c. §. 2. in erroribus: Sed plures alii ignoratæ ac nusquam agnitæ creationis reum faciunt, adeo ut Benedictus Pererius de communibus omnium rerum naturalium principiis Lib. V. Cap. VII. audacter scribat: Nunquam in mentem venisse Aristoteli, ut existimaret creationem quæ est nova rei ex nihilo productio, esse possibilem; tandemque concludat: nihil reperiri aut fingi posse, quod sit magis contrarium doctrinæ Aristotelis, & quod omnes ejus artus & nervos vehementius elidat. Qui ex Scholasticis creationem rationi cognoscibilem vel negarunt vel affirmarunt hos adductos legas ap. Suarez. Metaphys. Disputat. XX. Sect. I. Num. VI. VII. & XVI.

§. XXV.

Secundo illi qui Numen æternum, mundi Architectum adse-

adseruerunt, maximam partem opinati sunt: mundum a Deo productum esse ab æterno. Quod sibi vel maxime hinc persuasum tenuere; quoniam Deus esset Actus purus, Ens activissimum, Bonum sui ab æterno communicativum, adeoque in operibus mundanis perpetua sua virtute actuosum. Veruntamen hi expendere debuissent, hoc tantummodo consequi: Potuisse Deum ab æterno mundum, si voluisset, producere, de quo, an ipso facto ita productus sit, per rationem haudquaquam pateat, siquidem Deus sit agens liberum, quod ad extra libere, & non ex necessitate naturæ operetur. Conferatur Scheiblerus Lib. II. Cap. IIX. de Deo, num. 641. seqq.

§. XXVI.

A Bonitate Dei quoad fabricam mundi, ad Bonitatem ipsius quoad curam mundanarum rerum cum ratio procedat, nobis quoque vestigiis ejusdem licebit inhærere. Certe cum Providentia Dei sit intellectio & exequutio mediorum summi Numinis, quibus unaquæque res dirigi & perducitur potest atque debet ad suum finem; Quis negabit: Deum rerum autorem optimum atque sapientissimum finiumque destinatorem sua se Providentia communicare, manifestare? Versatur illa circa res omnes conditas, hominum præcipue tam bonorum, quam malorum actiones. Id quod gentilium plerique statuerunt, atque ex Alexandri Aphrodisæi ad Imperat. Antoninum Pium epistola hoc modo probari solet: Si Deus bonorum malorumque rationem non habet; id erit, aut quia ignorat res humanas, aut quia non potest meritis pœnas & præmia malis bonisque persolvere, aut certe quia cum sciat & possit, tamen nolit. Si dixeris Eum res nostras ignorare, adimis Ei Sapientiam: Si non posse eum præmiis pœnisque bonos malosve afficere, tollis Potentiam: Si vero dixeris Eum,

B 3

quam-

quamvis & sciat & possit, nolle tamen pro meritis cuique retribuere, spoliatur illum Bonitate, Gratia, Justitia aliisque virtutibus plurimis. Invidæ enim & iniquæ naturæ est, meliora, cum possis, facere nolle, quod utrumque à Deo alienissimum est. Epicuro, Plinio & si qui alii hujus furfuris occurrant, Platonem, Ciceronem, & vel unicum Senecam in aureo de Providentia scripto opponimus. Erudite judicat de toto negotio Autor poematis de Providentia, quod inter Prosperi opera habetur:

Hi qui pigra Deo dant otia, credo verentur
 Ne curæ intentum vigiles durique labores
 Conficiant, & tanta simul non explicet unus.
 O merfi in tenebras, divinique ignis inanes,
 Et plus corporeis oculis quam mente videntes!
 Qui vestræ æternæ naturæ & conditioni
 Audetis conferre Deum.

Conferatur Henr. Jul. Scheurlæus Epitom. Theol. Nat. Dissert. II. Num. LXV. seqq.

§. XXVII.

Cæterum quando tantam Dei Bonitatem ratio scrutatur, non potest non admirari innumerabiles ex illa se diffundentes radios, ut sunt Clementia, qua propensus est in suas creaturas: Benignitas, qua largitur omne Bonum: Longanimitas, qua mala pœnæ differt: Misericordia, qua afflictis succurrit: Veracitas, qua in verbis inque factis nunquam fallit: Justitia, qua suum cuique tribuit. Et quis emetiri ausit infinitum Bonitatis Dei inaccessum Solem? Certe, ut adæquatum essentia divinæ conceptum formare aut verbis eloqui haudquam valemus, etiamsi, dicente Basilio homil. de vera fide, omnes omnium mentes una ad investigandum coirent, &
 omnes

omnes ad enunciandum linguæ concurrerent: Perinde nec Deum Bonitatem, nec tantæ Bonitatis vel unicum radium adæquate vel comprehendere, vel ore calamoque repræsentare suffecerimus. Optime etenim Averroës fassus est: Si omnes res sublunares calami scriptorii essent, si omnes aquarum omnium guttæ atramentum, si cœli omnes essent libri; non posse tamen vel unicam Dei perfectionem digne satis describi. Ut adeo verissimum maneat, lippire ut diximus rationem nudam; sed distinctius videre collustratam lumine revelationis; at gloriose tandem clarificatam, intuituram esse Deum Bonitatem sicuti est.

§. XXIIIX.

Hiscæ ita breviter declaratis obviam eundum est Bonitatis Dei adversariis. Horum aliqui Deum Bonitatem directe lædunt, alii indirecte labefactant. Directe impudentissimi omnium contra Deum Bonitatem insaniunt, qui duplex agnoscunt Numen, Bonum & Malum. Tales in Orientali India inventi sunt Calecutani, a quibus Deus quidem mundi conditor agnoscitur ac Tamerani adpellatur; sed de quo tradunt, quo curæ expers mundanæ suavius vitam ageret, Vicarium orbi regundo præfecisse Dæmonem nomine Deumum, cujus horribili simulacro ipsorum Bramini sacra faciunt. Etiam Japanii Dæmoni fana exstruunt; reges in prælium ituri magnam illi vovent pecuniæ vim; a plebejis quoque in periculo constitutis, quo liberentur eo, suppliciter solet invocari. In India Occidentali similis cultus observatus est apud gentes longe plures. De Mexicanis Acoſta Lib. V. rerum Amer. Cap. XXVII. refert: Quod nulla ipsis sollicitudo sit alterius vitæ; pro bonis tamen temporalibus Dæmoni supplicent, tum etiam, ne noceat saltem. Præsertim
memo-

memoratu digna sunt, quæ ex Arcissewskii propria experientia Vosius de Tapuiarum, seu Tapajonum in Brasilia gente Lib. I. Cap. IIX. de ortu & progr. Idololatriæ commemorat. Nempe miseri isti homines duplex agnoscunt Numen, Bonum malumque; sed, Bonum quia sponte faciat bene, affligat neminem, nullo prosequuntur honore. Malum contra venerantur & invocant, quia iracundum sit & cultum sui negligentes male perdat. Nec vel iter instituunt, vel adversus hostem tendunt, nisi malo hoc numine certis prius ritibus consulto. De antiquis Saxonibus Georg. Fabricius Lib. I. Origin. Saxonicar. pag. 62. edit. Jenens. adfert: quod Dæmonas & ipsi coluerint, præter Finnum Deum, & Deam Sibam, malum Deum, quem atrum ajebant, ne noceret, venerati.

§. XXIX.

Verum enim vero per infelicissimorum hominum tantam insaniam nihil quidquam decedit divinæ Bonitati. Primo, quia Bonitas est de ipso essentiali Dei conceptu per §§. XV. seqq. ut Deus malus sit oppositum in adposito, ut mons sine valle aut plano, quod nec esse potest nec concipi. Secundo, quia infinitum est tantum unum, non duo aut plura. Tertio, quia infinite malum partim implicat, esset enim simul ac non esset. vid. Eustachius à Sancto Paulo Metaphys. Disp. II. Qu. XIII. p. 48. seq. Partim cum infinite Bono simul esse nequit. Quarto, quia isti cæci gentiles Deum quem coluere malum, dependentem a Deo Bono, sicque ipsius jam Vicarium, jam carnificem, ad torquendum homines datum, imaginati sunt. Ut paucis multa complectamur, tota duplicis Numinis longe vetustissima idolomania, ortum, ut conjicimus, traxit ab Angelorum bonorum & malorum ad-

pari-

partitionibus illorumque apud homines benignis ministeriis, horum innumeris vexis ac præstigiis. Quin hæc aliquandiu fervens Numinis duplicatio, tandem Deorum Dearumque multiplicationem, sive Polytheismum universum monstruosissimo partu edidit. Conjecturam vero illam in Scriptura, Deuteronom. XXXII. v. 17. & 21. fundari opinamur. Cæterum neque illud prætermittendum, quod omnes moratiores gentes, maxime supra vulgus inter eas sapientes, Deum ens optimum & perfectissimum ens unum esse agnoverint.

§. XXX.

Indirecte Bonitatem Dei satis frivole labefactat Renatus des-Cartes cum Meditationum suarum I. tum Parte I. Principior. Num. V. & VI. Quando ibi Genium aliquem malignum, eundemque summe potentem & callidum omnem suam industriam in eo posuisse ut me falleret effingit; posteriori autem loco nugatorie pronunciat: Quia audivimus esse Deum, qui potest omnia, & à quo sumus creati, nos ignorare, an forte nos tales creare voluerit ut semper fallamur, etiam in iis, quae nobis quam notissima adparent; quia non minus hoc videtur fieri potuisse quam ut interdum fallamur quod contingere ante advertimus. E quibus Johannes Faes Exercitat. in Cartesii Meditationem I. Cap. X. paginis 123-126. non male ostendit: Cartesium lædere Dei veracitatem; paginis 126-129. eundem laceßere Dei Bonitatem. Nos brevitati studentes sic argumentamur: Q. supponit, Deum nos forte tales creare voluisse, ut semper fallamur etiam in iis quæ nobis quam notissima adparent: is supponit, Deum posse esse non Bonum, non Veracem. Atqui Renatus des-Cartes &c. Ergo. Profecto vix aliquid crassius dici potuisset a Philosopho alias nimis quantum subtili; sed

C

quem

quem infulsæ dubitationis suæ nebula tantopere occæcaverat. Sane Deus, essentialis Bonitas, fons item & scaturigo omnis Boni, qui potuisset homines tales creasse, ut semper fallerentur? Ita fallaciarum errorumque in homine primus autor & motor, hominumque deceptor, Deus optimus maximus, blasphemia in Philosopho Christiano intolerabili, saltim ad interim & quamdiu Cartesianus pullus in dubitationis sterquilinio sese volutare vellet, statueretur. Cæterum puerilis est illatio hæc: Interdum fallimur; Ergo Deus omnipotens nos tales forte creare voluit, ut semper fallamur. Ego sub fumo: Ergo Deus te forte talem creare voluit, ut quando ita dubitas, Cartesi, ita insanus colligis, fallaris & fallas. Sic nugamenta procedent in infinitum. Quis puer ita collegerit? Interdum legimus, scribimus, ineptimus; Ergo Deus nos tales creare voluit, ut semper legamus, scribamus, ineptiamus.

§. XXXI.

Præterea de Bonitate sanctissimi Numinis graviter detrudere haud verentur, quotquot aut ex præscientia, aut ex voluntate Dei peccatum inferunt ac malorum moralium incunabula arcessunt. Contra priores, inter quos aliquot Calvinistarum reperias, vide B. Scherzer. l. c. §. XIII. in erroribus p. 47. Cornelius Martini disputat Compendii Theologiæ p. 142. seqq. Torquet, ait, multos illa Quæstio: An Deus sciat vel præsciat futura contingentia, & si præscit, annon necessario fiant ea, quæ nos contingenter fieri putamus? Cumque inter illa sit etiam peccatum, eò ab aliquibus inventum est, ut, cum hic defectu bonæ ratiocinationis hallucinarentur, concluderent; necessario hominem peccare, idque maxime posito ex præscientia hoc fundamento, quia id, quod

quod sciat sive præsciat Deus, aliter evenire non possit & per consequens necessarium sit. Quæ ipse Martini loco responsionis adferat, prolixiora enim sunt, legantur in citato scripto. Paucis verbis rem ita confici posse opinor. Præscit Deus, quæ futura sunt; præscit quia futura sunt; non præscit, quo futura sint. Quod assertum ita illustro: Præscit Deus infiniti intellectus sui perspicacitate, unico, simplici, perpetuo, & immediato intuitu, ut alias omnia scibilia, ita quoque omnia futura & futuribilia, quæ, quia, & quatenus futura sunt. At quo ita fiant, Dei præscientia, futura & futuribilia necessitate consequentis nullatenus cogit aut necessitat. Etenim præscit Deus etiam omnia possibilia, v. g. præscit, quemadmodum facere posset ex aliquo staturæ ordinariæ viro gigantem qui Lunam capite attingeret &c. Cognoscit quoque Deus impossibilia tot entium rationis angelicæ æque ac humanæ: At certe hæc omnia Dei cognitio, scientia, & præscientia minime sciendo efficit. Respiciant tales Philosophastri ad semet ipsos, & dicant an sequatur: præscimus cras oriturum Solem; hoc anno quatuor fore luminarium eclipses; Ergo hæc & similia, causante nostra præscientia à nobis efficiuntur?

§. XXXII.

Qui Bonitatem Dei, arrepta ex Voluntate summi Numinis occasione, laceffunt, hi certe reputandi, a quibus adferitur: Deum & posse velle, & velle actu, ut mala sint vel fiant a Voluntate Creatæ. Ita docuit Bradvvardinus; ita sentiunt non pauci e Scholasticis; ita disputant Tvvisius & Heereboordius, quem ultimum ex instituto solide retundere adgressus est Joh. Wolffgangus Jægerus Theologiæ Naturalis Cap. VI. Puncto IV. p. 205. seq. & Cap. VII. Articulo

unico de sanctitate Dei, Punctis IV. p. 282. seqq. Nos observamus, quod ingens Calvinianorum numerus, nempe Zwinglius, Calvinus, Beza, Colloqu. Mompelgartens. Rennecherus & Spindlerus, Perkinsius, Zanchius, Piscator, Keckermannus, Christoph. Wittichius, &c. eandem doctrinam acriter defendant. Ex ipsa ergo illa D. Balthasar Menzerus in Collatione Doctrinae Calvinianorum cum Augustana Confessione Tomo I. Disputationum Giessensium IX. & X. quam Collationem D. Polycarpus Lyserus An. MDCXX. germanice publicavit, sequentem conclusionem elicit: Negari ab iisdem autoribus infinitam Dei bonitatem. Conferatur ejusdem Menzeri Exegesis Augustanae Confessionis, Antithes. Calvin. ad Artic. I. Num. 3. Praesertim vero adaeatur Exercitatio Theologica ad Menzerianam Exegesin de Bonitate Dei, Argentorati Anno MDCXCVI. sub praesidio D. Isaaci Faustii habita, in qua id unice agitur, ut conclusio Menzeriana contra quoscunque suggillantes vindicetur. Nos prolixissimam de voluntate Dei, quoad mala controversiam Theologis relinquentes, paucis Heereboordio & Wittichio respondebimus.

§. XXXIII.

Adrianus ille Heereboord Philosophus Belga Pnevmatice Lib. II. Cap. XI. p. m. 157. ita docet: Deus decrevit & ordinavit peccatum, tanquam medium, quo manifestaret suam justitiam, cum puniret; & misericordiam cum condonaret. Ergo Deus voluit, ut peccata essent ac fierent a voluntate creata. Quasi vero Justitia & Misericordia Dei non manifestarentur; nisi per peccata vel angelorum vel hominum, & quidem a Deo sanctissimo prius discernenda
& or-

& ordinanda? Quasi Deus justus non fuisset ac misericors, si angelos & homines non creasset? Item si angeli & homines ad unum omnes in concreata bonitate perstitissent? Miserum omnino argumentum. Eandem inflat tibiam Wittichius in commentario de Deo §. XLIV. XLV. & XLVI. nisi quod passim adhuc crassius loquatur, v. g. pag. 385. prorsus blasphemie ita differens: Quos homines Deus constituit ad id, ut in eos exerceret misericordiam; iis decrevit dare Christum Redemptorem, qui satisfaciendo pro ipsorum peccato eos justificaret, atque assereret, immunes propter suum meritum illos pronunciando a condemnatione, eos decrevit vocare, regenerare, sanctificare & vita æterna donare. Quos porro constituit ad id, ut in eos exerceret justitiam, iis denegavit Christum Mediatorem, sicque in peccato voluit derelinquere, ac propter illud tum in hac vita temporalibus, tum post hanc vitam æternis poenis voluit afficere. At enimvero est peccatum aversio a Deo, est discessio a prima regula totius bonitatis, adversumque bonitati & sanctitati divinæ. Ergo peccatum est tam foedum & abominabile monstrum, ut Deus non possit illud sub cujuscunque excusationis prætextu aut voluisse unquam aut velle.

§. XXXIV.

Quod si objiciant: Aut DEUS vult mala fieri, aut vult non fieri. Si vult non fieri, procul dubio non fient, cum sit omnipotens: Si autem fiunt, DEO volente fiunt, sine quo nihil potest fieri. Respondemus: DEUS non vult fieri

C 3 mala

mala voluntate præcisæ legis essentiæ suæ infinite optimæ: Sed haud sequitur inde; Ergo non fiunt mala a creaturis rationis libertate instructis. Inquis: Ita fiet aliquid DEO illud nolente: R. neutiquam; sed fit aliquid DEO non-volente ac detestante, quod tamen præcise nolle & absoluta omnipotentis brachii sufflamine in agentibus liberis cohibere nulla ratione tenetur.

XXXV.

Levioris momenti dubia sunt, quæ a quibusdam moveri contra DEUM Bonitatem inde solent; quod spinas, tribulos, lolia, noxia venena, noxia insecta produxerit, ac monstra edi quotidie permittat Numen optimum. Sane ab eo quod nobis malum aut est, aut videtur esse; ad id quod malum est simpliciter, atque in DEI sanctissimi & omniscientis oculis, non valet consequentia. Conferatur Andreas Libavius de Universitate & Originibus rerum conditarum Lib. IV. p. 253. seq. Agnoverunt vel gentiles: omnia entia habere bonitatem non solum Metaphysicam; sed etiam Physicam, atque nihil tam esse primo intuitu noxium, quod etiam non sit aut esse possit emolumento.

§. XXXVI.

Haud majoris ponderis eam reputamus difficultatem: Experiri nos quotidie, quod DEUS non tantum mala poenarum pravis immittat, sed quoque infausta multa in probos vel effundat vel effundi permittat. Verum regerimus. Et
Justi-

Justitiam DEI erga pravos, & afflictionem bonorum, ad ipsorum confirmationem tendentem, esse specimina prorsus egregia Bonitatis divinæ. Etiam sanctissimus quisque toties peccat, sicque de pœna peccatorum conqueri haud potest; præterquam quod DEUS optimus optimos suos milites continuo in prælia contra Diabolum mundum & carnem mittat, partim ne securi a tam callidis tam potentibus hostibus subito perdantur, partim ut sint exemplo aliis qui in DEI militia tyrocinii rudimenta nondum deposuere, quo paria cum illis facere, aut saltem experiri, in proprium maximumque commodum suum, adnitantur.

§. XXXVII.

Hac planissima connexionis via transitum facere proposueram ad repræsentandum DEUM Bonitatem e verbi DEI longe nitidioribus longe uberioribus thesauris. At nec charta sufficit quam huic exercitationi consecravi, nec tempus quod protrahere longius hac vice prorsus non licet. Hinc divinæ Bonitati, cui nos & nostra unice permittimus, sit & nunc & in sempiterna secula.

LAUS, HONOR, ET GLORIA!



Pag. 5. §. XII. lin. 4. lege ἀνταρχαδόν.


VIRO

VIRO
Maxime Venerando atque Amplissimo
DOMINO
JACOBO VOGELIO,
Ecclesiae Neo-Hufanae in Ducatu
Saxo-Lauenburgensi,
PASTORI VIGILANTISS. OPTIMEQ.
MERITO

S. P. D.

JO. GOTTLIEB HARDT. P. P.

Quod in votis habuisti haecenus, nempe ut Filius Tuus, **JACOBUS CHRISTIANUS**, in Musarum stadio strenue decurreret, atque ita spem Tibi bonisque omnibus faceret, fore ut aliquando Numinis optimi gloriam, Ecclesiae Christi commoda, proximique salutem sit pro virili sua promoturus: Ejus specimen quoddam nunc auspicato vides, intuiturus propediem extantiora premiorum, quibus a Senatu Tilieti hujus Philosophico, idem ornabitur, documenta. Ego itaque, cui Filii studia plus vice simplici commendasti, de felicibus adeo incrementis Tibi ex animo gratulor, Deum Bonitatem supplici prece invocans: Velit Te, Filium, Tuosque omnes innumeris bonorum cumulibus tam animo quam corpore perpetuo ita munerari; ut Tibi de Filio congaudendi, mihi de ipso Tibi porro gratulandi exoptatissima occasio identidem enascatur! Scribeb. Lipsiae ipsis Kalend. Februar. Anno R. S. **MDCCLXIII.**



Exeg. B. 400 8

~~Exeg. A~~

~~Exeg. C~~

